

N. M. II, 321. QVOD FELIX FAUSTUMQVE

h. 65^v q.

ESSE VELIT,

DEUS TER OPTIMUS MAXIMUS,

CUI CURÆ EST, UT GRAVE SCELUS DIGNIS

COERCEATUR PŒNIS

EJUS PRÆSIDIO

DE

ADULTERIO

LEGE DIVINA ET

HUMANA COERCENDO,

Ex Autoritate & Decreto,

ILLUSTRIS ac NOBILISSIMI,

in Celeberrimâ Lipsiensium Uni-
versitate

DOCTORUM ORDINIS,

PRO LICENTIA DOCTORALI,

IN UTROQUE JURE

ad diem XVI. Martii ANNO M. DC. XCIII.

SOLENNITER DISPUTABIT,

JO. GOTHOF. à DIESELDOORFF

Dantisco - Borussus.

L I P S I Æ ,

Literis JO. WILHELMI KRUGERI.

Messieurs Warmdörffer

(X 188 0456)

2 Exempl 3.

II R
3864



QUOD FELIX FALSTUMOVE
DEUS TER OPTIMUS MAXIMUS
EUI CURA EST, UT GRAVE SCULUS DIGNIS
EJUS PRÆSIDIO
DE
ADULTERIO
LEGGE DIVINAE ET
HUMANAE CORRECTENDO,
EX Auctoritate & Decretis
ILLUSTRIS



PRO LICENTIA DOCTORALIS
JO. GOTTFR. HOFFMANNI
Dantico - Borussia
LIPSIÆ
Litteris JO. WILHELM. KRUGER.





B. C. D.



I quæ iustissimus Legislator
in æternum constituit, pro
æternis servarentur, haud
dubiè & minor Juris divini
contemptus & major pec-
candi formido esset. Exem-
plo cum alia multa, tum ne
longiùs abeam, vel divina
constitutio decoërcendo adulterio esse poterit. San-
ctissima hæc lex sacrilegos alieni thori expugna-
tores morte plecti jusserat: non dignitas non sexus
â supplicio immunis erat, omnes enim mortales
Summi Legislatoris edictum alligarat. Cujus re-
verentia quamdiu valuit, severa & casta steterunt
matrimonia, ac quicquid honestæ atque conces-
sæ voluptatis erat, id uni Conjugi relictum mane-
bat. Posteaquam verò Flavii constitutio irrepsit,
quæ intempestivâ clementiâ abductus amicum sibi
sexum horrore mortis solvit; posteaquam dein-
ceps pessimis plurimarum gentium moribus adul-
teria ære multari cœperunt, tunc primùm Christiana
natio de magnitudine flagitii ambigere voluit,
dein-

A 2

dein-

deinde exolescente poenarum metu in omnem li-
centiam ac lasciviam effusa est, ut nullus postmo-
dum pudor nullus Legis metus ac Numinis hor-
ror retinere impudentissimum mœchum potuis-
sent, quin effreni audaciâ ad cubicula maritorum
tenderet, limina pudicitiae consecrata libidinoso fu-
rore moliretur ac recentes lasciviae notas alieno
thoro ruptis pudoris repagulis petulanter inpri-
meret. Nec Exteris duntaxat ea calamitas mansit,
sed ad nostros quoq; fines pervenit, ut gravissi-
mam hanc atrocissimamq; thori injuriam poenae
levitate dissimulari bonae atqve pudicae mentes
inter nos quotidie adhuc qverantur. Quae me res
movit, ut cum omnino quaedam pro themate In-
augurali proponenda essent, non subtilem ex Ju-
re antiquo controversiam depromerem, sed sa-
luberrimas de coereendo adulterio sanctiones
breviter excuterem. Neq; me deterruit ab hoc
argumento, quod arrogantes homines jactitant,
nimis id vulgatum esse atqve à multis multifariam
tractatum: Cathedram qui conscendit novo mo-
re, ab eo novum aliquod inventum afferri debere:
His enim respondeo, plus apud me autoritatis
habere Sapientum rationem existimantium, nun-
quam ad satietatem dici posse de re, quae dicendi
fastidium utilitatis ubertate compensat.

A

CAP.

CAP. I.

Generalia circa adulterium exhibens.



Tfi secundum frequentem Disputantium consuetudinem nonnulla de sensu rubricæ præmittenda veniunt; enimvero cum verba ejus tantâ radiant claritate, ut in vulgus, quod dicitur, nota esse videantur, vix ac ne vix quidem operæ pretium erit his diutius immorari; tamen ne omnem ejus curam penitus neglexisse videar aliqua circa vocem adulterii notabo.

II. Duorum autem potissimum hinc habenda erit ratio, quorum alterum ad ejus etymologiam seu derivationem alterum ad definitionem spectabit.

III. Etymologiam quod attinet, adulterium nonnullis dicitur quasi ad alterum sive alteram ire, ex eo quod maritus aliquis, quando libidinis explendæ causâ ad alteram accedit mulierem, aut mulier quæ uxor est ad alterum accedit marem, adulterium committat: Aliis dicitur quasi ad alterius thorum accedere: Aliis quasi alienum uterum terere: quam tamen derivationem tanquam fœdam & ineptam, cum & in stuprum incidat, dudum rejecit Boeerus in speciali tract. de adulter. cap. i. §. ult. aliter derivat Papinianus in L. 6 ff. ad L. Jul. de adult. ubi adulterium ex eo dicitur putat quod sit conceptio partûs ex altero; alii denique deducunt ab adulando: Sanè ut dicatur quod res est, de verâ hujus vocis origine amplius adhuc deliberandum erit.

Menag. amœnitat. jur, voc. adulter.

IV. In definiendo adulterio communiter tradunt DD. illud nihil aliud esse quam vitiationem & corruptionem ejus, quæ alteri nupta est, seu uti Azo vult *in summ. ad L. jul. de Adult. n. 2.* illicitum coitum cum uxore sponsæve alienæ, quem complures sequuntur quos recenset Farinac. *in prax. crim. tit. de delict. carnal. qv. 141. n. 1.* sed an rectè & accuratè ex sequentibus facile patebit. Alii describunt per alieni thori violationem, quorum opinio ex eo mihi vix probatur, quod thorus alienus non solum per adulterium sed & per cædem conjugis, si fortè maritus vel uxor ab aliquo occidatur, violetur: Utque alias aliorum descriptiones omittam, existimo adulterium accuratius definiri posse, quod sit crimen publicum, quo per concubitum viri cum alienæ fœminæ fœdus conjugale violatur.

V. Ex quo primùm infertur, ad adulterium ut jure humano tale sit requiri ipsum concubitum seu carnalem commixtionem nec solam hîc voluntatem seu intentionem sufficere: Et hoc est quod Ictus dicit in *L. 225. ff. de V. S.* adulterium non ex solâ animi propositione sed assumpto actu intelligitur: idem sentire videtur Ulpianus in *L. 23. ff. ad L. jul. de adult. verb. in ipsâ turpitudine filiam cum adultero deprehendat item verb. in ipsis rebus veneris.*

VI. Deinde cum in definitione generaliter mentionem fecerim viri, non excludo marem cœlibem, nam & hic si ve juvenis si ve viduus fuerit, quoties cum uxore alienæ carnaliter se commiscet, toties adulterium committit, quò confert textus generalis in *L. 6, ff. ad L. jul. de adult. & L. 101. ff. de V. S.*

VII. Nolim tamen affirmare de Jure Civili per concubitum mariti cum fœminæ solutâ adulterium committi, illo quippe jure duntaxat adulterium est, quando mas seu vir aliquis si ve ille uxoratus si ve solutus fuerit uxorem alienam carnaliter cognoscit, ut haud obscure apparet ex *LL. alleg. junct. L. 34. §. 1. ff. ad L. jul. de adult.* Ratio differentia

tiæ inter Maritum cum solutâ & uxorem cum cœlibe rem
habentem hæc esse poterit, quod mulier nupta adulterinos
partus supponat, quod in maritum non cadit, cujus fortè
cum innuptâ congressus vix plus mali de Jure Romano
post se relinquit, quam si utrinque cœlibes coitus illicitos
miscant. *vid. tamen Menoch. Lib. 2. de arbitr. Cas. 420. n.*
106. & cas. 249. n. 3. & sequ. Carpzov. *Prax. Crim. P. 2. Q.*
52. n. 49. Wissenb. *disp. ad inst. 53. th. 26. conf. omnino*
Magnif. Dn. Schwendendorffer in not. ad Eckold. tit. ad L. lul de
adult. p. m. 1113. in fin.

VIII. Etsi vero non committitur Civili jure adulterium,
in solutâ personâ etiam si Mas sit uxoratus, Jure tamen Divi-
no secus est, quod conjugalem æquè à marito quam ab uxo-
re fidem desiderat *add. Matth. 5. v. 27. & 28. & 19. v. 9.* quibus
locis præceptum extat generale de non adulterando, proin-
de tam ad Maritum quam ad uxorem pertinet, eoqve inpri-
mis spectat illud Pauli *1. ad Corinth. 7. v. 4. Maritus sui corporis*
Dominus non est sed uxor, & uxor sui corporis Domina non est sed ma-
ritus. Idem Jure Canonico probari creditur *per can. nemo si-*
bi blandiatur caus. 32. qv. 4. & can. non machaberis: can puto. can
precepit. can. apud nos & can. ult. c. 32. qv. 5. can. si ducturi &
CC. seqq. c. 32. qv. 6. dissentit Heigius *P. 2. qv. 29. n. 6. & seqq.*

IX. In Sponsâ quoqve alienâ adulterium committi re-
scripserunt Divi Impp. Severus & Antoninus §. 3. *L. 13. ff. ad*
L. Jul. de adulte additâ ratione eleganti, quod neqve spem ma-
trimonii violare permittatur, quâ parte Jus nostrum Civile
divinis Legibus laudabiliter suffragatur, nam & lex Divina
sponsam alicujus vocat ejus uxorem eâdemqve pœnâ con-
cubitum cum alterius sponsâ punit quâ concubitum cum alie-
nâ uxore *Deut. cap. 22. ver. 23. & sequ.* Quò etiam facit quod
Hosea scriptum est *c. 4. v. 13. sponsa vestra adultera erunt;* Dissentit
Covarruv *Lib. 4. Decretal. part. 1. cap. 1. n. 8.* cujus in contra-
rium argumenta prolixè refellit Bocerius *dict. tract. cap. 1. n. 43.*
& multis seqq. idem facit Carpzov. loc. all. Qv. 56.

X. Sed

X. Sed & in eâ uxore quæ vulgaris & promiscuæ ad-
missionis fuerit adulterium committi docet Ulpianus in §. 2.
all. L. 13. aſt Diocletianus & Maxim. Impp. in L. 22 C. ad L. Jul.
de adult. Si ea, inquit, quæ ſupro tibi cognita eſt, & paſſim ve-
nalem formam exhibuit ac proſtitutam meretricio more vulgo ſe præ-
buit, adulterii crimen in eâ ceſſat. Hanc textuum contrarieta-
tem ut conciliarent Interpretes varia commenti ſunt. Non-
nulli diſtingvunt inter uxorem, quæ quidem ante matri-
monium publica fuit meretrix, ſed poſt contractum matri-
monium ceſſavit à meretriciâ vitâ; & inter eam uxorem quæ
etiam poſt matrimonium contractum vulgare ſcortum,
manſit: cum illa adulterium comitti dicunt per §. 2. dict. L. 13.
cum hac verò non per L. alleg. 22. cui opinioni ſubſcribit De-
cianus in tr. crim. lib. 8. cap. 7. n. 14. ubi tradit quod Ulpianus
Jctus in L. 13. loqvatur de eâ uxore quæ in præteritum fuit vul-
garis, Impp. verò Dioclet. & Maxim. in L. 22. agant de uxore
quæ adhuc meretrix eſt: alii exiſtimant L. 22. exaudien-
dam eſſe de caſu, quo mas aliquis non cum alienâ uxo-
re meretrice vulgari ſed cum fœmina quâdam ſolu-
tâ meretrice publicâ rem exercuit veneream, quod
ſvadere dicunt verba legis ſequentia: ſupro tibi cog-
nita eſt: Weſenbec. in paratit. ff. ad L. Jul. de adult. n. 6.
Berlich. part. 4. conclus. 27. n. 85. Alii deniqve diſtinguunt
inter eam, quæ marito deſerto paſſim & ſine delectu mere-
tricio more ſe proſtituit, & eam quæ ſupratoribus quidem
corpus committit, non tamen maritum deſerit, nec paſſim
& ſine ullo delectu id facit: in illâ crimen adulterii ceſſare
per L. 22. in hac non per L. 13. plures conciliationes vide
apud Carpzov. loc. all. qv. 57. add. Bocerus loc. all. §. 53. ſqq. Ant.
Matth. de crim. p. m. 395. & ſeqv. conferatur etiam Huberus
in prælect. J. Civ. tit. ad L. Jul. de adult. n. 7.

XI. Cum uxore quoque injuſtâ adulterium committi idem
docet Ulpianus in §. 1. Leg. alleg. 13. Injuſta verò uxor ex
mente Magnif. Dn. Schwendendorff. l. all. p. m. 1315. princ.
hîc dicitur non ratione formæ eſſentialis ac conſenſus ma-
trimonialis, ſed vel ratione formæ accidentalis ob inter-
miſſas

missas solennitates vel ratione subjecti & personarum earumque inæqualitatis vid. omnino Ant. Matth. loco cit. p. m. 398. & 399.

CAP. II. Pœnam adulterii ex Lege Divina proponens.

§. I.

Hactenus itaque quid sit adulterium, & à quibus committatur, quoad antenus me exposuisse arbitror; sequitur ut subjungam pœnas adulterii reis infligi solitas, in quibus breviter referendis reliquum disputationis nostræ occupatum erit.

II. Primum itaque videbimus oracula Divina veteris testamenti, *Levit. 20. v. 10. similiter vir qui adulterabit cum uxore alicujus, qui adulteravit uxorem proximi sui omnino morte plebatur adulter ipse & adultera: idem repetitur Deut. cap. 22. vers. 22. Si quis deprehendatur cubans cum muliere maritata marito, omnino moriatur: Pariter ambo, vir qui cubavit cum muliere & mulier ipsa: His accenseri solet locus Ezechielis cap. 18. ubi v. 10. fit mentio polluentis uxorem proximi sui, & vers. 13. quæritur, hiccine vivet? in quâ quæstione negativam latitare asserit Havemann. Gamalog. Synopt. Lib. 4. tit. 6. p. m. 581. Ex his itaque palam fit jure Divino decerni capitale supplicium in utrumque sexum, nec in uxore modo obtinere verum etiam in muliere desponsatâ. *Deut. 22. v. 23. Hosee 4. v. 16.**

III. Neque solos Hebræos divina hæc Lex obligat, sed omni ævo omnibusque gentibus quæ aut sunt aut fuere aut futuræ sunt, interminantur. Quò vel maximè facit, quod antequam Leges in tabulas incisæ essent, Deus totam domum Pharaonis ob interceptam Abrahami uxorem flagellavit *Genes. 12. v. 17.* Nec mitior in Nurus Judas existit, dum stupro gravidam flammis destinat, quamvis filio Sela
B spera-

-OJUS

sperata magis quam legitimis nuptiis pacta esset *Genes.* 38. v. 24. ut taceam conflagrationem florentissimarum urbium Sodomæ & Gomorrhæ & severitatem atque horrorem diluvii *vid. Genes.* 7. & 19.

IV. Non desunt tamen qui hanc Legem Divinam quoad prohibitionem delicti moralem quidem omnesque homines & semper obligare concedunt, quoad pœnam verò negant, hocque sensu merè politicam & judæis propriam esse contendunt, adeoque cum peculiaris ratio acerbioris pœnæ adulterii apud judæos hodie cesset, id quoque mitiori pœnâ coercendum existimant: Quem in finem ita scribit Calvinus *lib. 4. Instit. cap. 20. n. 14. in adulteros alibi severiores alibi leniores editæ sunt pœnæ: videmus tamen ut hujusmodi diversitate in eundem omnes finem tendant: nam uno simul ore pœnam pronunciant in ea, quæ eternâ DEI lege damnata sunt facinora, nempe homicidia, furta, adulteria, falsa testimonia: Sed in pœnæ modo non conveniunt: neque verò id necesse est, neque etiam expedit. Et paulo post: Quam malignus fuerit & bono publico invidus qui tali diversitate offendetur ad retinendam Legis DEI observationem accommodatissimâ? nam quod jactatur à quibusdam fieri contumeliam Legi DEI per Mosen latæ, cum abrogatâ illâ novæ aliæ illi præferuntur, vanissimum est: neque enim aliæ illi præferuntur dum magis probantur, non simplici collatione, sed temporum, loci, gentis conditione: aut illa abrogatur quæ nobis lata nunquam fuit, siquidem non eam Dominus per manum Mosis tradidit, quæ in gentes omnes promulgaretur & ubique vigeret: sed cum judaicam gentem in fidem, patrocinium, clientelam suam suscepisset, illi etiam peculiariter Legislator esse voluit, ac quod sapientis Legislatoris erat, singularem quandam ejus rationem in ferendis legibus habuit: idem sentit Petrus Martyr *loc. comm. class. 2. cap. 2. n. 33. & 35.* Ut enim parum ordine agi censeat, quod adulterii pœna capitalis non sit in usu quoniam ea consentit cum verbo DEI & legibus Divinis, quod nobis maximi momenti esse debet; tamen concludendo expressè profitetur, sese non id agere ut Magistratum auto-*

8.
n
i-
o-
o-
ò
n
is
i-
i-
e-
o-
re
a-
ed
e
no
e-
à
b-
m
e,
o-
m
i-
m
ac
i-
yr
li-
fü
s,
n-
m
o-
as

autoritatem convellat. scio, inquit, crimina esse punienda, hoc esse constitutum lege Divinâ: modum verò committi Magistratibus, nec vigere oportere easdem leges novi, etiam illas LL. civiles traditas per Moſen non magis nos astringere quam ceremoniales: Ceremoniæ manſerunt usque ad adventum Christi: Civiles suum usum habuerunt, quamdiu manebat illa Respublica, conveniebant illi populo: add. Grot. de I. B. & P. L. 1. c. 1. n. 16. & introduct. in Jurisprud. Batav. L. 3. p. 32. n. 9.

V. Enimvero etsi nullum est dubium, quod Leges forenses Mosaicæ cadente Republicâ Iudaicâ eadem ceciderint operâ quemadmodum Leges ceremoniales adventante meridie novi testamenti, attamen ubicunqve vigent rationes legis ipsam legem adhuc vigere sana ratio dicitur: ast verò adulterium tempore non mutatum esse sed in hunc usque diem ea prorsus afferre mala, quæ attulit olim in populo judaico, vix negabit, qui non planè ratione caret. Dum ergo eadem omninò adulterii natura hodie adhuc est quæ & tempore Moſis fuit, adeoque delictum cum suis fructibus idem durat, cur non duraret pœna eadem, cumque nihil mali remiserit adulterium, cur remitteretur definitus pœnæ gradus? conf. omnino Ant. Matth. de crim. p. m. 417. & 419. ubi hanc legem non solis judæis scriptam esse sed naturali ratione constare prolixè asserit, huncque unum ex casibus esse, in quibus christiana Respublica reformatione indigeat. add. Joh. à Sande decis. frisc. lib. 5. tit. 9. df. ult. Carpzov: loc. all. Qu. 52. n. 17. sqq.

VI. Cæterum triplici mortis pœnâ propter diversitatem personarum in delinquentes jure Mosaico animadversum fuisse Sacro Codice edocti novimus: Uxor enim adultera facta cum adultero præfocabatur, i. e. gula mappâ utriusque collo injecta præcludebatur Levit. 20. v. 10. Mortem namque huic crimini minatur lex, quam quoties non designat nec ullum mortis genus speciatim exprimit, strangulandos esse reos intelligunt Rabbini, id quod ex Paul. Fag. ad Paraph. Chald. Deut. 22. Buxtorff. part. 1. n. 25. de Sponsal. sal.

al. & divort. Selden. lib. 1. cap. 16. & lib. 3. cap. 11. refert Brouwer in tractatu suo quem conscripsit de jure Connub. apud Batav. recepto lib. 2. cap. ult. p. m. 710. Sponsa verò vel etiam adultera quævis lapidabatur, *Ezech. 16. v. 24. Job. 8. vers. 3. & sqq.* Quod si filia esset sacerdotis, vivicomburio peribat, *Levit. 21. v. 9.* Excipiebatur tamen jure Divino unus casus, quo in muliere adulterium morte non puniebatur, si fuisset ancilla viro desponsata & nondum libertate donata *Levit. 19. v. 20.*

C A P. III.

Pœnam adulterii ex antiquâ gentium consuetudine referens.

§. I.

SAnè in facinoris hujus detestabile genus quivis etiam populus aliter tamen atque aliter animadvertit, id quod ex inspectâ vetustate moribusque gentium abundè patebit.

II. Apud Ægyptios deprehensus in adulterio mille plagis casus castrabatur, mulier verò adultera naso mutilabatur, ut quâ parte corporis maximè placuisset, ea fœdior atque deformior appareret. *Diodor. Sicul. lib. 2. Biblioth. cap. 3.*

III. Athenienses adulteras ornamentis omnibus spoliatas ingressu templorum arcebant, si contra fecissent, injuriis omnium ita exponebant, ut exceptâ morte nihil non in eas liceret, mortem autem inferre ideo non licebat, quò diutius in ignominiâ viverent uti tradit Demosthenes in *Oratione in Neeram pag. 875.*

IV. Severius Locrenses agebant, qui machis utrumque oculum erui jubebant: cùmque Legislatoris, qui erat Zeleucus, filius in adulterio deprehensus fuisset, & tota civitas in honorem patris pœnam remitteret, aliquandiu repugnavit; tandem precibus populi victus, suo prius deinde

de filii oculo eruto debitum supplicii modum legi reddidit, admirabili æqvitatē temperamento sese inter misericordem patrem & justum legislatorem partitus, uti loquitur Val. Max. *lib. 6. cap. 5.*

V. Crotonienses adulteros vivos cremabant; cumque ipse Princeps Salæthus qui hanc legem tulerat, fratris uxorem polluisset, in adulterio deprehensus orationem adeo commoventem ad Cives habuit, ut illi remissa pœnâ ordinariâ exilio saltē eum damnare voluerint: verum ipse atrocitatem delicti reputans, se vitâ prorsus indignum existimavit, eò quod carissimum ipsâ etiam vitâ sæpe cariorem pudicitiam nempe uxoris Marito eripuit, adeoque in ignem sponte profilit. Tiraqvell. *in LL. Connub. 13. n. 13.*

VI. Sic Sesostris Ægyptiorum quondam Rex adulteras vivas ultricibus flammis punivit: cujus causas Diodor Sicul. *lib. 1. Biblioth. cap. 59.* sequentem in modum refert: *Hic oculorum usum ut & Parens ante eum amisit, decimo demum anno oculi monitu impulsus est, ut fœmine quæ alienum virum experta non esset, lotio faciem ablueret, idque fecit & à Coniuge suâ exorsus neque tamen sibi restitutus: cum postea multarum humorem similem expertus esset, nullam omnium invenit incorruptam præter hortulani quandam, quam etiam sanitati postea redditus uxorem duxit: adulteras autem vivas in vico quodam concremari iussit; quem vicum ab hoc eventu glebam sacram nuncuparunt.*

VII. Persæ etiam capitali supplicio adulterii reos afficiebant, uti refert Fr. Patric. *de regn. lib. 4. cap. 11.*

VIII. Cumæi mulierem in adulterio deprehensam in forum deducebant & Saxo impositam omnibus spectandam exhibebant, inde super asino collocatam & ita per totam civitatem circumductam in eundem locum restituebant: Ex illo infamiâ notatam per totam vitam eam equitem asinariam appellabant, lapidemque illum tanquam impurum ac detestabilem vitabant. Plutarch. *in problemat. cap. 115.* Alciat. *lib. 2. Parerg. cap. 47.*

IX, De aliis aliorum populorum in adulteros adulterasve pœnis plura qui desiderat, adeat Tiraqvell. *loc. cit.* lib. 13. & Arnisaum *tr. de. jure connub cap. 5. sect. 8.* ad quos brevitas studiosus me remito.

C A P. IV.

Pœnam adulterii ex Jure Romano producens.

§. I.

Jus Romanum triplicem adulterii reis pœnam minatur: (1) rei familiaris jacturam infert, (2) Capitis supplicium publico judicio infligit, (3) privatam vindictam Patri Maritoque adulteræ permittit.

II. Jactura rei Familiaris hujusmodi est: Si uxor adulterium commiserit, retinet maritus dotem, donationem propter nuptias & liberis non existentibus è cæteris adulteræ bonis tantam portionem quanta est tertia dotis *novell. 117. cap 8.* Quod superest addicitur monasterio, nisi sint descendentes quibus octo uncia vel ascendentes, quibus quatuor uncia deferuntur. *novell. 134. cap. 10.* Ast si maritus adulterium commiserit, recipit uxor dotem, lucratur donationem propter nuptias & ex reliquis mariti bonis tantum, quantum tertia pars donationis propter nuptias esse cognoscitur: reliqua bona fisco vindicantur, nisi sint descendentes vel ascendentes ad tertium usque gradum qui fisco præferuntur *novell. 117. cap. 9. & nov. 134. cap. 10. & ult.*

III. In hoc itaque communis Interpretum schola facile consentit: Circa illud vero dubium adhuc movet per *all. nov. 134. cap. 10. & Authent, sed hodie C. ad L. Jul. de adulter.* ubi dicitur, quod mulier propter adulterium in monasterium detrudatur, & si eam Vir intra biennium non receperit, vel antequam receperit, mortuus fuerit, illa monachicum habitum acci-

accipiat & habitet in ipso monasterio in omni propria vitæ tempore, & duæ partes propriae substantiæ descendentes si habeat applicentur, tertia monasterio in quod mittitur detur: Si verò descendentes non fuerint sed ascendentes inveniantur, his tertia pars, reliquæ vero duæ monasterio approprientur: Si verò neque descendentes neque ascendentes habeat omnem ejus substantiam accipiat monasterium, marito autem pacta dotalibus illata Instrumentis serventur &c.

IV. Ex quo manifestum fieri videtur, maritum ex bonis adulteræ nihil lucrari sed prorsus excludi: Quæ si constitutionis sententia esset, duplici vitio & neutro ignoscendo laboraret; altero, quod gladii pœnæ adulterum reliquerit adulteram subduxerit, de quo agam inferius; altero quod ob adulterium mariti donationem propter nuptias addixerit uxori, ob adulterium uxoris dotem addixerit monasterio non marito.

V. Hoc animadvertentes interpretes medicam manum constitutioni adhibent, ac innumeras pro removendâ absurditate distinctiones utut subinde admodum violentas in medium proferunt vid. Carpzov. *prax. crim. P. 2. Qu. 64. per tot.* Mihi omnium probabilissima videtur quam suppeditat Matth. *tr. de crim. pag. 426. sequ. ubi alleg. novell. 134. cap. 10.* de aliis bonis præter dotem intelligit ac ultima ejus verba ita interpretatur, ut non solum dotem lucretur maritus, sed & si quid præterea pactis dotalibus comprehensum sit, ei servetur: Cui interpretationi exemplum ex *L. 57. ff. de donat. inter Vir. et uxor. sequens accommodat: Sponsus Sponsæ ad expediendas res suas mille donavit, cautumq; pactis dotalibus, ut si per ipsam moresve ejus stetisset, quominus aetatem unâ agerent, tum supra scriptam summam sine ullâ dilatione restitueret: Mulier postea adulterium commisit atq; ob eam causam à marito repudiata est, maritus non solum dotem lucrabitur, sed & supra scripta mille vi pactorum dotalium ei restituenda sunt; Eandem sententiam amplectitur Brunnemann. *ad Cod. tit. ad L. Jul. de adult. add. Authent. sed hodie in fine.**

VI. Ne-

VI. Nequaquam autem dos profectitia vel adventitia non tamen à muliere sed ab extraneo data propter adulterium mulieris marito cedet, idque ob vulgata juris axiomata: Pœnæ suos debent tenere autores; alterius odio nemo est prægravandus; ob alterius admissum alius non punitur. *L. 22. C. de pœn. L. 2. C. Ne Uxor pro mar. L. 33. §. 1. C. de inoff. testam.* Cum igitur mulier deliquerit, non hic qui dotem dedit, consequens est, actionem ex stipulatu salvam esse tam patri, qui semper tacite stipulatus videtur, quam Extraneo qui expressè stipulatus est divorzio factò dotem sibi reddi: Et hoc nominatim cautum fuisse constitutione Justin. *ult. C. de repud.* deperditâ quidem, sed à nonnullis quoad sententiam ejus *ex Lib. 28. bas.* restitutâ refert Ant. Matth. *l. cit. 433.*

VII. Sic quoque dotem non lucrabitur ob admissum uxoris adulterium maritus fordidus, qui impudicam eo fine atque animo sibi adscivit uxorem, ut ubi illa adulterium admisisset, ipse dote potiretur: Si enim dotis lucrum pro solatio injuriæ per adulterium uxoris marito illatæ conceditur, huic sordidissimo nullo modo concedendum est, cui certè quatenus ipse adulterium uxoris exoptavit injuria nulla facta videtur, *arg. L. 1. §. 5. ff. de injur.* ut taceam eum accusare mores uxoris non posse, qui eos ducendo illam semel probavit *arg. L. 47. ff. solut. matrim. L. 13. §. ult. ff. ad L. Jul. de adult.* Contrarium sentirem si quis impudicam quidem sed non eâ mente duxerit, ut per scelera ejus ditesceret, sed ut ex Consilio Canonum opus fortè, si Diis placet, misericordiæ ederet eamque castis moribus imbueret, præprimis ubi mulier spem fecerit fore ut domum ducta frugi sit, postea verò ad ingenium redierit.

VIII: Neque lucro dotis gaudere maritum, qui inconsulto dolore uxorem in adulterio deprehensam occidere quam accusare maluit cum frequentiori DD. scholâ asserimus

ferimus, maximè cum Lex Julia non adulteram sed adulterum
duntaxat marito occidere permiserit *L. 24. ff. ad L. Jul. de adult.*
Sed dixerit fortè aliquis, atqui justissimus tamen & accerrimus
dolor fuit mariti deprehendentis uxorem in tanto flagitio
quem retinere vix est humanæ facultatis: Resp. Eam igi-
tur ob causam lege civili pœna ordinaria ei remittitur, non
tamen lucro dotis afficiendus est quo se quoad antenus in-
dignum reddidit, quandoquidem non satis æquum videtur,
virum ob facinus suum dotem lucrifacere *L. 10. ff. solut. matrim.*

IX. An verò propter osculum libidinosum uxor jactu-
ram dotis æque patiatur ac ob adulterium jam tum consum-
matum digladiantur adhuc interpretes: negat Alciat. *lib. 4.*
parerg. 10. affirmat Matth. *loc. cit. pag. 434. sequ.* fundans se in *L.*
8. C. de repud. § nov. 117. cap. 8.

X. Et hæc de dotis itemque donationis propter nu-
ptias amissione: Nunc de pœnis quæ capitis supplicium
infligunt: Quarum primus Autor fuit Romulus Romæ ur-
bis conditor qui sequentem in adulteras legem tulisse com-
muniter fertur: *Adulterii convictam Vir & cognati uti volent,*
necato. Dionys. Halicarnass. *lib. 2. antiquit. roman.* Müll. *Tr.*
de Cornut. p. 234. n. 57. Post Romuli legem aliam præter
Juliam reperiri negat Ant. Matth. *loc. cit. p. m. 390.* utut lar-
giatur more majorum propinquos & necessarios adultera-
rum coercionem habuisse easque ut plurimum ultra du-
centesimum lapidem relegasse, adulteros verò longius id
quod haud obscure apparet ex Corn. Tatito *qui lib. 2. Histor.*
Aug. scribit Apulejam Variliam fuisse Majestatis & adulterii
accusatam: *Et de adulterio, inquit, satis caveri Lege Juliâ vi-*
sum est: Sed Tiberius Cesar adulterii pœnam graviolem deprecatus
ut exemplo Majorum adultera à propinquis suis ultra ducentesimum
lapidem removeretur, suavit, adultero Manlio Italiâ atq; Africâ
interdictum est: add. Tiraqvell. l. all. n. 14.

XI. Lex autem Julia quæ non à Julio Casare ut nonnul-
li opi-

C

li opi-

li opinantur condita fuit, sed ab Augusto qui testamento
avunculi adoptatus ejus nomen tulit, *L. 1. ff. ad L. Jul. de a-*
adult. pœnam gladii adulterio imposuit, juxta §. 4. Inst. de
publ. Judic. quem hi qui dissentiunt malè ita explicant, qua-
si Imperator non respiciat ad ipsam Legis Julix rogationem
sed ad pœnæ tantum substitutionem in locum prioris factam:
nam quoniam, inveniunt, pœna mutata, ipsa tamen lex ad-
huc in judiciis fervebat, placuit Legislatori pœnam gladii
legi adscribere in locum relegationis substitutam: Sed val-
de dubito an hanc interpretum explicationem apertissima
dicti §. verba admittant, quæ ita se habent: *item Lex Julia de*
adulteriis coercendis non solum temeratores alienarum nuptiarum
gladio punit, sed & eos qui cum masculis nefandam libidinem exercent:
Et hanc opinionem quoque confirmat *L. 9. C. ad L. Jul. de*
adult. ubi Imperator Alexander Legi Julix pœnam capita-
lem satis clarè adscribit. Respondent equidem contrarium
sentientes verba ista, *si quocunque modo capitale pœnam eva-*
serint, non Imperatoris sed Triboniani esse, qui ex novâ
constitutione ea inferuit: ast vereor ne hæc opinio magis
divinatoria quam vera sit: vid. *Carpzov. Prax. Crim. P. 2.*
Qu. 52. n. 27. seqq. Nec obstat *L. 5. ff. de quest. L. 11. ff. ad*
L. Jul. de adult. L. 4. §. 6. ff. de re milit. L. 13. ff. de his que ut
indign. Distinguendum enim omnino hic cum Magnif. Dn.
Schwendendorff. *ad Eckold. tit. ad L. Jul. de adult. §. 9.* inter
pœnam adulterii ordinariam ejusque ex lege Julix irroga-
tionem & inter extraordinariam *L. 9. C. ad L. Jul. de adult.*
Nec refragatur *nov. 134. cap. 10. pr. junct. L. 30. C. ad L. Jul. de*
adult. Distinguendum namque & hic cum Eodem Viro
notissimo inter primævam pœnæ introductionem & in-
ter pœnæ revocationem add. *Ungep. Exercit. Just. 16. qu.*
9. conferatur tamen Bocerus tr. de adult. c. 5. n. 67. Ant. Matth.
de crim. pag. 40. & seqq. Heig. P. 2, Qu. 29, n. 48. seqq. Dn. Hu-
ber tit. Inst. de publ. jud. §. 6.

XII. Et

XII. Et licet pœna legis Juliae progressu temporis con-
niventia nimirumque Imperatorum lenitudine in desuetudinem
abiisset; tamen à Constantino, seu ut alii volunt Constante
& Constantio, vid. Bocer. *loc. cit.* n. 74. in L. 30. C. ad L. Jul. de
adult., restituta est. Quam postmodum Imperator Justinia-
nus quoad viros confirmavit, quoad fœminas contra rati-
onem juris antiqui quod mulieres adulterantes gravius de-
linquere statuit, Dn. Huber. in *praelect. I. Civ. ad L. Jul. de
adult. §. 3.* mitigavit, constituens ut viri adulteri pœnâ qui-
dem capitali puta gladii afficiantur, fœminæ verò adulte-
ræ virgis castræ in monasterium detrudantur, è quo si eas
intrà biennium viri reducere noluerint, vel priusquam eas
reducerent mortui fuerint, ibi monastico habitu suscepto
dum vivant permaneant, duabus partibus substantiæ propriæ
liberis si habet applicandis tertia monasterio *novell. 134. cap. 10.
Authent. sed hodie. C. ad L. Jul. de adult.* utque sanctionis hu-
jus rationem vel saltè probabilem afferant, multum la-
borare solent interpretes, sed ut videtur admodum frustra.

XIII. Non ineptè forsàn quis dixerit, respexisse Im-
peratorem ad fragilitatem sexûs, quâ plerumque fieri solet
ut non tam sponte, quam blanditiis atque muneribus adul-
terorum seductæ peccent, verùm ea ratio ad relevanda il-
larum peccata non sufficiens erit: Præterquam enim, quod
multæ ultrò procaces sint & sollicitent potius quam sollici-
tentur, etiam ad fœditatem illam & incommoda, quæ mu-
lieris peccatum aut comitantur aut sequuntur, respicere le-
gislatorem oportuit. Si ergo verum amamus, non est
quod Justinianum excusemus, maximè ubi spretis sacræ
paginæ minis quas vox Divina morte plecti voluit *Genes.
20. v. 10. Deut. 22. v. 22.* eis vitam intempestiva clemen-
tiæ laude concesserit: Equidem cum dotium privilegia &
tacitas mulierum hypothecas atque alia hujusmodi rei uxo-
riæ præsidia indulset, nemo negabit hætenus fragilitati
muliebri succurri potuisse, quatenus id tamen sine publicâ
inju-

injuriâ atque dedecore fieri licuit; at cum in capitali scelere deprehensis ultimum supplicium remittitur, quis tam remisso aut communi animo est ut id ferendum putet: Confugiat itaque qui velit ad sexûs infirmitatem & lubricum, occlamet nobis illud imperatoris: Quis non earum misereatur? *L. 12. C. qui potior. in pign.* nemo vetat, modò illas adulteras capitali pœnæ non subducat. Quamquam enim ita fragilis & infirmus sexus est, ut nec præsentia intelligere nec instantia cavere rectè possit, ea tamen sæpe numero infirmitati adjuncta est malitia ut nisi pœnæ atrocitate à flagitiis deterreatur, nihil sit quod illarum impetum coercere possit: Hæc igitur Iustiniani culpa erit, si conjugii nupta furtum faciat, nam sexum naturâ invalidum seque in furore amoris retinere non valentem gladii metu solvere nihil est aliud quam eandem suæ lasciviæ alienæ libidini exponere.

XIV. Porro quam illud à rectâ ratione abhorreat marcham virgis cæsam in monasterium detrudere quivis facile videt: Num enim sentinæ monasteria sunt, in quas confluant lupæ & prostibula & quicquid aliàs impudicarum est? Vah pudor! Claustra continentia impenetrabilia esse voluerunt, quicunque solitariae sectæ audiunt Auctores. Nihil dictu nihil visu fœdum monente S. S. tectum subire debet, sub quo puer est: quid sub quo tecto virgo cubat, adulteras cubare justum est? quamque ætas sollicitudinem postulat, nonne sexus quoque à nobis flagitat?

XV. Denique cum adulteræ vitam concedat Iustinianus, cur non ea quoque largiatur, sine quibus illa vivere nequeat, novas nempe nuptias: Quod si indignum visum nubendi potestatem ei concedere quæ priores nuptias adulterio polluit, cogitandum est, longè absurdus fore, impudicam incontinentem impotentem animi fœminam monasterio includi: quandoquidem nihil turpius & fœdus est

us est quam in media incontinentiâ profiteri cœlibatum: Neque solitudo verecundam reddet quæ in turba lascivire non erubuit famamque diu contempfit.

XVI. Enimvero si hæc constitutio Autorem Iustinianum siue ejus uxorem Theodoram habuit, vel etiam uti viri nonnulli pii atque graves autumant, Episcoporum ambitioni originem debet, qui pravo imitandi Servatoris nostri studio adulteras necari noluerunt, improbanda est.

XVII. Et sic quoque excusimus quæ pœna publico iudicio ex Lege Romanâ adulterii reis infligatur: restat ut addamus privatam vindictam Patri & Marito adulteræ ex eâdem permissam.

XVIII. Patri qui filiam in potestate habet datur jus occidendi adulterum in domo vel propriâ vel Generi in actu venereo deprehensum cujuscunque ille conditionis fuerit modò unâ occidat filiam, cui, cœlo adultero parcere non debet: parem namque lex in eos qui deprehensi sunt indignationem exigit & severitatem requirit: Quod si tamen adultero occiso filia solum vulnerata fuerit, verbis quidem legis non liberatur pater, sed divus Marcus & Commodus rescripserunt in *L. 32. ff. ad L. Iul. de adult.* impunitatem ei concedi quia licet interempto adultero mulier supervixerit, magis fato quam voluntate servata est: *add. L. 20. 21. 22. 23. eod.*

XIX. Ratio autem cur pater adulterum & filiam adulteram impunè occidat in suâ vel in generi domo non etiam alibi, hæc redditur à Iure Consulto, quod majorem injuriam existimaverit Legislator, quod in Domum Patris aut mariti ausa fuerit filia adulterum inducere & hic ipsam ibidem adulterio polluere *L. 23. ff. ad L. Iul. de adult.*

XX. Patris verò vocem strictè interpretes de parente primi gradûs accipiunt, & ideo neptem in adulterio de-

prehensam neque a patre neque ab avo occidi posse autu-
mant: non ab hoc, quia lex julia de patre tantum locuta
est, non ab illo quoniam filiam in potestate non habet
quamdiu ipse in Patris sui potestate est. *L. 21. ff. ad L. Iul. de
adult.*

XXI. Pariter si quaeramus an patri etiam filiam praë-
gnantem in adulterio deprehensam occidere liceat, negan-
dum id est: quoniam non debet flagitium matris nocere ei
qui in utero est, praësertim cum incertum sit utrum ex ma-
rito an ex adultero conceptus sit: Cumque Leges praë-
gnantis supplicium atque torturam differant, donec enixa
sit, *L. 3. ff. de poen. L. 18. ff. de stat. hom.* non est probabile, vo-
luisse eas porrigere ferrum patri, ut eodem ictu nocens cum
innocente occumbat.

XXII. Marito adulterum occidere licet in domo sua
cum uxore in ipsa turpitudine deprehensum, nec refert
quicquam Maritus sit pater aut filius familias *L. 24. ff. ad L.
Iul. de adult.* non tamen quemlibet occidere ei permissum
est ut Patri, sed vilem, qualis est leno, mimus, arenarius
iudicio publico damnatus neque in integrum restitutus,
quive libertus Mariti, Uxoris, Patris, Matris filii, filia: uxo-
rem autem occidere ei non licet, sed si adulterum occide-
rit, uxorem sine mora dimittere tenetur *L. 24. ff. ad L. Iul.
de adult.*

XXIII. Diversi juris ratio hæc esse videtur: quod ma-
riti furor ob veterem matrimonii consuetudinem & pro-
pter cubilis pudorem obque spem liberorum expugnatam
tantus sit, ut in occidendo adultero & adultera, sibi tem-
perare nequeat, proindeque impetus ipsius quoad antenus
refrenandus fuit *L. 38. ff. ad L. Iul. de adult.* Patri verò qui
non facile tanto concitatur furore, propter proprium sibi
sanguinem, quæ est filia, lex non aliter permittit occide-
re adulterum, quam si & filiam occiderit [incontinenti &
qua-

quasi uno ictu: raro quippe eventurum putavit Legislator ut pater occidendi filiam, tristissimum obierit ministerium, cum plerumque pietas paterni nominis pro liberis consilium capiat & facile adultero parcat ut parcat filia L. 22. §. ult. ff. ad L. Iul. de adult.

XXIV. Quod si verò maritus non infamem personam vel etiam uxorem in adulterio deprehensam impetu doloris occiderit, legis quidem Corneliae de Sicar. poenam ordinariam vel legis Pompejæ de parricidiis supplicium non sustinebit, ideo quod marito ex impetu doloris tracto in repentino motu difficile sit savientem ob scelus uxoris iram temperare L. 3. ff. de Senat. C. Silan. Et hoc est quod Ictus dicit in modo alleg. L. 3. Si maritus, inquit, in adulterio (uxorem) occidat, ignoscitur ei: quod intelligendum non absolute sed quoad poenam ordinariam: hinc Papinianus in L. 38. ff. ad L. Iul. de adult. ex divi Pii rescripto tali marito poenam statuit opus publicum perpetuum si humilis sit conditionis vel in insulam relegatio, si honestior sit: idem ex Eiusdem Principis rescripto docet Marcianus in L. 1. §. ult. ff. ad L. Cornel. de Sic.

XXV. Olim tamen licuisse marito uxorem in adulterio deprehensam omnino impunè occidere videre est ex Gellio Lib. 10. & Cassiodoro Lib. 1. Variar. quos citat Cujac. in tit. 26. de adult. lib. 2. sentent. Pauli & in Comment. in lib. 36. quaest. Papin. p. m. 207.

XXVI. Cæterum necandi potestas marito quoque in eum impunè permessa est, cui antea suspecto ter in scriptis denunciavit sub præsentia trium testium fide dignorum, postea verò ipsum cum uxore in sua vel uxoris aut adulteri domo vel popinis aut Suburbanis deprehenderit: Novell. 17. cap. 15. & Auth. Si quis ei C. ad L. Iul. de adult.

XXVII. Non tamen jus occidendi competet in illum, qui cum sponsa adulterium committit, parum atten-

to

to num de praesenti an de futuro talis sit, cum vox uxoris exemplo vocis patris restricte interpretanda veniat nec sponsa de praesenti verè uxor sit, licet pro uxore in multis aliis juris articulis habeatur: Neque obstat quod *Cap. 1. de fendi adulterium* etiam cum sponsa committi: non enim à quibus adulterium committitur eos etiam privatim occidere permissum est, alioqui & marito adulteram & adulterum quemcunque occidere liceret: Nec obest quod capite de injuriis appellatione uxoris contineatur sponsa, item *L. Pompeja de parricid. 3. § 4. L. 15. § 24. ff. de injur.* Aequitas namque svaedet sponso actionem injuriarum dari si sponsa contumeliam passa sit; svaedet etiam gravius aestimandum homicidium si sponsa occidatur à sponso: at nequaquam svaedet occidendi jus sponso concedendum esse; quoniam id tristissimum exemplum gravissimum videtur, porrigere privatis ferrum, quo suas ipsi injurias ulciscantur.

XXVIII. Eodem modo respondendum si quis roget, utrum in ministros aut internuncios adulterii jus occidendi competat: Licet enim justà interpretatione pro adulteris habeantur *nov. 134. cap. 10. L. 37. §. 1. ff. de minor.* non tamen verè adulteri sunt: nisi fortè marito vel patri adulterum perimere volenti vim fecerint, quo casu eos non injustè occidi dixerim *arg. L. 1. §. penult. ff. ad L. Cornel. de sicar.*

XXIX. Similiter si quaeramus, an cum lex in adulterio deprehensum permittat occidere, eo ipso etiam permiserit deprehensum in praeludiis adulterii, veluti amplexibus svauiis balneis seu impudicà attrectatione, negandum ist est cum praeludia & praenuncia flagitii non sint, flagitium ipsum. Et hinc Jctus in *L. 23. ff. ad L. Jul. de adult.* verba in adulterio, ita interpretatur, *in ipsà turpitudine, in ipsis rebus veneris*: Et quanquam de hac interpretatione tanquam obscurà valde adhuc inter se digladiantur interpretes

pretes, nullum tamen est dubium, Ictum verecundia for-
tè causâ paucis hîc attamen haud obscuris verbis non ni-
si quintam amoris lineam intellexisse: uti loquitur Ant.
Matth. loco sæp. alleg. p. m. 47.

XXX. Hîc etiam pertinet, quod adulterum in ipsâ
adulterii turpitudine deprehensum non modo occidere,
verùm contumeliâ quoque afficere liceat L. 22. §. 3. ff. ad
L. Jul. de adult. ubi Papinianus *Qui*, inquit, *occidere potest
adulterum, multo magis contumeliâ poterit jure afficere*: Qui textus
cum generalis sit, exaudiri potest non solum de contume-
liâ verbalî, levior enim hæc foret pro admisso, sed & rea-
li, quæ infertur resectis genitalibus adulteri & naribus,
vel mutilatis etiam cruribus aliisque corporis membris:
Nec adversatur quod Imp. Hadrianus Domitianus & no-
visimè Justinianus vetuerint mares excindi L. 4. ff. ad L.
Corn. de Sicar. nov. 124. illi namque uti patet non loquuntur
de deprehensis in adulterio sed iis duntaxat qui libidinis
aut quæstus causâ castrantur.

XXXI. Et hanc privatam vindictam ex Lege Juliâ
Patri Maritoque concessam inter alios defendit Albericus
Gentilis lib. 1. cap. 2, de nupt. cui nequaquam subscribimus,
quin potius tanquam Christianæ pietati ac religioni admo-
dum adversam damnamus, nulloque modo eum qui illâ u-
sus fuerit à conscientia morfu immunem existimamus: Et
utut adulterii pæna ex dictâ lege Juliâ ultimum debeat,
esse supplicium, minus recte tamen conceditur jus occiden-
di adulterum Patri maritoque non saltèm quod in humanum
sit nimisque acerbum, recenti crimine madentem nec morti
preparatum occidi, sed etiam quod politicæ rationi adver-
setur, publicam vindictam iræ privatæ committere idque fu-
renti præsertim marito hoc in passu dæmonis instar savienti
privatamque injuriam non publicam vindictam cogitanti:
Rectius Honorius & Theodos. Imp. in L. 14. C. de judais & Cæ-
licol. id circo, *judiciorum vigor jurisque publici tutela videtur in medio*

D

constitu-

*constituta, ne quicquam sibi permittere valeat ultionem: Omnium-
que optimè Apostolus ad Romanos 12. Non vos ipsimet ulciscami-
ni dilecti; sed dare locum injuriæ; scriptum est enim, meum est ulci-
sci, ego rependam dicit Dominus.*

XXXII. Multominus verò toleranda mihi videtur
illa Flavii novella constitutio, quâ permittitur marito Zelo-
typo occidere eum, quem suspicatus adulterum post tres
contestationes seu denuntiationes in scripto ei destinatas
habentes testimonia trium virorum invenerit cum uxore
suâ in domo vel propriâ vel alibi *nov. 117. c. 15.* non enim
tantum indulgendum esse arbitror suspicioni Zelotypi ma-
riti cui nimius inest æstus omnemque proinde clementiam
die ultionis ignorat, ut loquitur Salomon *proverb. cap. 6.*

XXXIII. Et hanc sententiam jus quoque Canonic. tuetur
non tamen nisi ridiculâ adjunctâ ratione: ita enim Stephe-
nus *in can. 8. C. 33. qu. 2. DEus non vult mortem peccatoris sed ut con-
vertatur ad pœnitentiam & vivat:* vel uti Nicolaus *in can. 6. c. 33. qu. 2. Sancta DEI ecclesia gladium non habet nisi spirituale non occidit,
sed vivificat:* illa enim ratio si valeret in marito. cur non & pu-
blicæ vindictæ eripit adulterum? Deinde quid potestas spiri-
tualis ad potestatem politicam facit, quid misericordia divina
& Ecclesiæ humanitas ad forum politicum? miror sanè con-
nexionem: DEUS non vult peccatorum mortem, sed ut con-
vertantur & vivant, ergo vult ne in facinorosos ultimis sup-
pliciiis animadvertatur.

CAP. V.

Pœnam adulterii ex Iure Canonico & Feudali ostendens.

§. I.

JUS Canonicum cum non stringat gladium sed indictâ pœ-
nitentiâ ad meliorem frugem revocet delinquentem, uti ex
modò allegatis textibus constat; adulteras quas recipere
nolunt mariti, monasterio includi jubet ut perpetuam ibi
pœni-

pœnitentiam agant *Cap. 19. X. de conv. Conjugat.* Dotem verò & donationem propter nuptias conjugali sô applicat *cap. 4. X. de donat. inter Vir. & uxor. cap. 1. X. de lit. non contest.* Clericum adulterum depositum ab officio communione concessâ, toto vitæ suæ tempore itidem in monasterium detrudit, *art. 10. dist. 81. lai.* cum excommunicat & pœnitentiæ subjicit. *cap. 2. X. de adul.*

§. II. Hic itaque nævus erit, quod delictum lege Divinâ morte vindicandum assumptâ intempestivâ misericordiâ, pœnitentiâ indictâ coerceat, idque iniuper levioribus delictis annumeret *cap. 4. X. de judic.* quam ob causam non immerito ab Ant. Matth. *disp. Jur. fundamental. art. ff. 51. n. 6.* hunc in modum perstringitur: *Sicine Pontifex legem DEUSQUE ad animam & sanguinem defensis, quod Te facere asseris in Can. 6. c. 25. qu. 1.?*

§. III. Jure feudali qui uxorem Domini corrumpit, & qui eam corrumpere tentavit, si manus tulerit ad papillas, si sub vestimenta, feudi privatur amissione: ut initium facti pro ipso facto habeatur & pudicitie attentatio perfectum censeatur facinus *lib. 1. feud. tit. 2. ibidemque Cujac. us circa inu. p. m. 671.* quo in passu à Jure Civili recedit, quo solus criminis conatus ad sustinendam pœnam non sufficit; id quod ostendit Jctus in *L. 1. ff. de Extraord. crim. sollicitatores, inqviens, alienarum nuptiarum itemq; matrimoniorum interpellatores, etsi effectu sceleris potiri non possint, propter voluntatem perniciose libidinis extra ordinem puniendos esse.*

C A P. ult.

Pœnam adulterii ex Jure moderno commemorans.

§. I.

IN terris Imperii Romano-Germanici secundum Constitutionem criminalem Caroli V. *art. 120.* in adulteros pœna gladii decernitur: Atque hinc Principes Germaniæ præsertim Protestantes in suis ditionibus constitutiones crimen

adulterii gladio coercentes promulgarunt, teste Gædd. *ad L.*
101. ff. de *V S* n. 4. sub. *fn.*

II. Jus Saxonicum præcipit ut illi qui in adulterio de-
prehenduntur capite plectantur: daß man denen die in Ehe-
brecherey begriffen werden / die Häufter abschlagen soll. vid.
Landrecht lib. 2. art. 13. post med. Quem quidem Juris Saxonici
textum non adeo simpliciter intelligendum, quin ex jure po-
tius communi declarandum esse, ita ut masculus tantum gla-
dio puniatur, fœmina vero conjugata virgis cœsa in mona-
sterium detrudatur aut ob defectum monasteriorum relegetur,
existimat Carpzov. *Prax. Crim. P. 2. Qu. 53. n. 28.*

III. In Electoratu Saxoniz in adulterio quod vocant
duplicato quando nimirum vir conjugatus sive maritus cum
uxore alienâ se commiscet, tam vir quam fœmina gladio puni-
untur: ita namque disponit Elect. Mauritius in *Ord. Provinc. de*
Anno 1543. tit. Von Straffe des Ehebruchs verb. Wiewohl die
Kaiserlichen Rechte in diesem Laster die Straffe denn Mannes
und Weibespersonen ungleich geordnet / wo aber hinfürder in
unseren Landen ein Eheweib vorseghlich mit einem anderen
Manne Ehebruch treibet / so soll sie mit der Straffe / die dem
Ehemann geordnet / des gleichen der Mann / ob er wohl eine
ledige Person / nemlich mit dem Schwerdte gestraffet werden.

IV. Unde patet nullum esse in Electoratu Saxoniz
discrimen quoad pœnam gladii adultero indicendam, utrum
solutus an conjugatus fuerit.

V. Pariter si maritus cum fœmina solutâ rem habue-
rit, æqvè pœnam gladii incurrit *vid Const. Elect. 19. p. 4. vers.*
darüber aber *verb.* sondern auch der Ehemann so mit einer le-
digen Dirne oder unverehlichtem Weibe seine Ehe brechen und
Unzucht treiben würde / mit dem Schwerdt vom Leben zum
Tode sol gerichtet und gestraffet werden.

VI. Fœmina vero soluta sive virgo vidua aut mere-
trix

trix fuerit, virgis cœsa in perpetuum relegatur: *Constit. loc. all. §.*
Es soll aber. *verb.* des gleichen die ledige Weibespersohn / so
mit einem Ehemann Unzucht getrieben in solchem falle auch
des Landes mit Staupenschlägen ewig verwiesen werden.
add. Ord. Eccles. tit. Von der Straffe der Unzucht und des Ehe-
bruchs fol. 105. §. Ord. Matrim. de Anno 1625 punct. 4. §. da einer &c.

VII. Jure Würtembergico adulter & adultera primâ vice
præviâ honoris privatione per quatuor septimanas carceri
mancipantur eoqve tempore aquâ & panè vescuntur: Quod
si idem dento admittant, adulter pœnâ gladii, adultera sub-
mersione in aquam & suffocatione ex Constitutione Ducis
Ludovici de Anno 1586, die 21 Maii puniuntur, conf. *Bocerus Dict.*
tr. cap. ult. in fin.

VIII. Jure provinciali Ducatus Prussiae *lib. 6. tit. 6. art.*
1. §. 2. tam mulier viro nupta cum alterius marito adulterium
committens, quam vir etiam vel maritus cum aliâ muliere li-
cet solutâ rem habens gladio puniuntur, mulier verò soluta
cum quâ adulter confyevit virgis cœsa in perpetuum
relegatur.

IX. Similiter disponit Ius Culmense *P. 2. L. 5. tit. 8. cap.*
2. 2. §. 3. verb. Wenn ein ehelicher Mann sich fleischlich ver-
mischet mit eines anderen Ehemannes Eheweib / so seyn sie
beyde des Ehebruchs schuldig und sollen mit dem Schwerdte
zum Tode gestraffet werden. Im gleichen wird es gehal-
ten / wann ein ehelich Weib mit einem ledigen und unehli-
chen Manne die Ehe bricht / dann sie haben beyde das Le-
ben bestanden: Würde aber ein Ehemann mit einem ledi-
gen und unverehlichten Weibe zuschaffen haben / so soll der
Mann mit dem Schwerdte gerichtet werden / und das le-
dige Weib mit Staupenschlägen des Landes ewig verwie-
sen werden.

X. Gallorum moribus adulterii pœnam non esse ca-

pitis testatur Rebuff *in proem. ad constit. reg. gloss. 5. n. 108.* ibi-
que adulterium in laude industriæ poni, dicit Faber *aa §.*
4. Inst. de publ. jud. ubi deplorans Gallix calamitatem, non
est, inquit, sanitas à vertice usque ad plantam cedri, lilium con-
formatur hysopo: Quid enim Nobiles scribunt in hospitiorum pa-
rietibus juxta armorum insignia, quod id non sapiat? scribit ta-
men Brissonius in epistolâ ad Thuanum præfixâ libro sin-
gulari quem ille ad L. Iul. de adult. edidit, infedisse im-
peritorum animis ridiculam quidem, sed quæ maximam
nequitix fenestram patefecerat, opinionem, adulterorum
in Gallia impunita esse peccata, quâ passim corruptis mo-
ribus laudi jam duci & in pretio haberi cœpisse, Thuanum
verò editis de aliquot adulteris exemplis hanc perniciosam
opinionem eripuisse ac indigitasse non tam puniendi vo-
luntatem quam accusatores majoribus suis antehac defu-
isse: Refert etiam Joannes Imbertus *in Enchirid. juris Gall. p.*
m. 251. mulierem adulteram *ex decreto suprema Curia Parisien-*
sis die 22. Decembr. 1522 in monasterium conjectam ibique
flagris diebus tribus, quos Veneris nominant, cœsam fuisse.

XI. In Italiâ pœnam capitis dudum exolevisse eamque
nonnisi pecuniariam esse tradit Clarus *in §. adulter. n. 7.*

XII. Jure Hispaniæ adulteram unâ cum bonis marito
tradi qui de eâ disponat ad lubitum testatur Pichard. *in com-*
ment. ad. Inst. tit. de publ. judic. §. 4.

XXIII. Quod spectat mores Belgii subjecti Hispani-
arum Regi, ibi gladii quidem pœnam constitutionibus Prin-
cipum statutam esse, sed eam non observari scribit Gudeli-
nus *de jure noviss. lib. 5. cap. 18. add. Zypæi notit. jur. Belgic. tit. de*
adult. verb. Cæterum. Damhaud. prax. Crim. cap. 89. n. 5.

XIV. In Belgio fœderato, ubi tamen etiam uxoratus
cum solutâ de moribus committit adulterium Gœdd. *ad L.*
101. ff. de V. S. adulterii pœnam non nisi pecuniariam esse &
propter actus iteratos exilium & infamiam, testatur Statut.
Polit. Holland. Ordin. de Anno 1580, art. 15. 16. & 17. Quod ita

ie ha-

se habet. In den eersten soo verre en echte man bevonden sal worden van nu voortaan overspel te bedryven i^r sy met eene ongehoude ofte gebonde vrouwe persone ofte een ongehoude man met eene gebonde vrouwe, dat deselve man als eerlos ende meyneedigh metter daedt verbeuren sal syn officie ende staet, indien hy eenighe heeft van de voorsz. staten ofte binnen enige steden de voorsz. landen ende voorts verklaert sal worden in capabel omme eenighe staet ofte officie binnen de voorsz. lande ende steden te mogen bedienen ende ingevalle i^r selfae overspel gedaen ende bedreven is van een Echte man met een gehylickte vrouwe, dat dar en bovensy luyden beyde ghebannen sullen worden uyt de voorsz. landen den tyt van vyftigh jaren. Maer in dien het overspel is gecommiteert van en echte man met een ongehoude vrouwe, sal de voorsz. man boven devoor noemde privatie van i^r officie gecondemneert worden in een boete van hondert Karolus Guldens voor d' eerste reyse, ende daer naer meer daer inne delinquerende, met bannissement von vyftigh Jaren, ende een boete van twee hondert Guldens: ende sal d' ongehoude vrouwe sulcks ghedelingusert hebbende, vor d' eerste reyse te water ende te broode geleydt worden den tydt van veertien dagen, ende indien sy andermael bevonden wordt sulcks te committeren, sal vor den tyt van 50. Jaren gebannen worden uyt en voorsz. landen. Indien eenigh ongehoude man met eenige echte vrouwe overspel bedryft, sal de voorsz. man den tydt van 14. dagen te water ende te broode geleyt, ende ghecondemneert worden in een boete van hondert Karolus Guldens; ende so verre hy andermael sulcx commiteert, sal eenwelick uyte voorsz. landen gebannen worden: ende de vrouwe meet een ongehoude man overspel committerende sal als boven gebannen worden den tydt van vyftigh Jaren.

XV, *Quæ pœna hodie etiam apud Zelandos Ord. Polit. de Anno 1583. art. 13. seqq. Frisios lib. 2. stat. tit. 11. Transilulanos part. 2. tit. 19. art. 10. & Omlandos lib. 7. art. 46. obtinet.*

XVI. In diœcesi Ultrajectina antiquâ consuetudine rubric. 33. cautum erat, ut si qui adulterium commiserint, primâ vice decem tantum florenis Carolinis, secundâ viginti, tertiâ exilio vel extrâ ordinem judicis arbitrio punirentur: *Quæ tamen pœna cum minor delicto videretur,*

6. Octobr.

ax
TK
3864

6. Octobr. 1584. ab Ejusdem provinciæ Ordinibus antiquata est & de novo constitutum, ut si qualificatum esset adulterium, i.e. ligati cum ligatâ, pœna capitis vir afficeretur, mulier in exilium pelleretur: Quod si non esset adulterium qualificatum, vir primâ vice omnibus dignitatibus exueretur, & condemnaretur mulctâ centum Carolinorum, secundâ vice duplicatâ mulctâ priori in exilium pelleretur, fœmina verò soluta primâ vice per dies quatuordecim inclusa aqua & pane vesceretur, secundâ vice per decennium in exilium mitteretur; pœnam tamen ultimi supplicii aliquoties ibi mitigatam fuisse audivi, ut eâ desuetudine innumbrari videatur. conf. Simon van Leeuwen *Censur. forens. tit. de adult. p. m. 785. & 786.*

XVII. In aliis præterea locis adulterium pœna ut plurimum pecuniariâ coercetur, quo de post multos Theologos pariter ac Iure Consultos graviter conqveruntur Anton. Matth. *de crim. lib. 48. tit. 3. cap. 7. n. 14.* Heig. *P. 2. Qv. 29. n. 74. seqq.* Carpzov. *prax. crim. part. 2. qv. 63.* Havemann. *Gamolog. Synopt. lib. 4. t. 6. c. 29.* serioque optant ut pœna capitalis in usum fori revocetur, ne dum nimis levis pœna scelesto huic flagitio imponatur, ansa peccandi temerè præbeatur.

XVIII. Sed hæc de coërcendo adulterio post tot alios Scripsisse sufficiant, etsi non idem, ni fallor, aut non idem omnino quod notarunt jam alii suppeditasse existimo; bene utrum an male, Tuum erit, Candide Lector, judicium. Vale & fave si merear.



VDT
M



The manuscript page contains faint, mirrored text from the reverse side, including:

 JO. GOTTHOFER

 SOLEMNIT

 DANLICO

 PRO LICENTIA

 JCTORD

 in Celestibus

 ILLUSTRIS

 EX AUSTRIACIS

 HEMANA CO

 LEGEDI

 ADU

 DENSTER OFTI

 ECI CUM EST, UT O

 VOD FELI

